REMOVED FROM
30 DEC 1997
PATENT OFFICE LIBRARY

029239

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/cranaeinsulalaco13bege

CRANAE
INSULA LACONICA,
Eadem
&
HELENA
dicta,
& Minyarum poſteris habitata:
Ex
NUMISMATIBUS GOLTZIANIS,
Contra
Communem Opinionem,
Quæ
ad Helenam Atticæ reſpexit,

SOLD BY H.M. STATIONERY OFFICE

Demonſtrante
LAURENTIO BEGERO,
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario
ab Antiquitatibus & Bibliotheca.

Coloniæ Brandenburgicæ,
Imprimebat ULRICUS LIEBPERTUS, Electoral. Typographus. 1696.

REMOVED FROM
30 DEC. 1997
PATENT OFFICE LIBRARY

RUrſus ad Aonias animo ſitiente Cathedras
Venerat, & Sæcli monumenta latentia, priſcas
Luſtraturus ETASTES *opes, conſederat. Inde*

Confabulationem, inquit, quam nuper incepimus, DULODORE, eam, ſi Tibi ita videbitur, continuabimus. Ad Numiſma Goltzii volupe fuit diſſerere, cumque dubium non ſit, quin plura apud eundem proſtent, luce genuinâ adhuc carentia, quid obeſt, ut & hodie nobis famuletur ? Poterit, inquit DULODORUS. Sequentia Numiſmata, me quidem judice, percuſſit

CRANAE LACONICA,
eadem &
HELENA,
dicta,
& Minyarum poſteris habitata.



Contra communem Eruditorum ſententiam loqueris, inquit ETASTES. Quis unquam Inſulæ Laconicæ Nummos ΕΛΕΝΙΤΩΝ aſſeruit? Goltzius quidem poſt Numiſmata Cretenſium ea proponit, ſed quòd ΕΛΕΝΙΤΩΝ inſcripta, ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ inſcriptis præpoſuit: Imò quòd Euboœenſium Numiſmata iis immediatè ſubjecit, utique haud adeò obſcurè ſignificavit, Inſulæ Atticæ, non autem Laconicæ ea vindicanda eſſe; Neque mihi objeceris opinionem Nonnii, qui ea dividit, Numiſmata ΕΛΕΝΙΤΩΝ Inſulæ Atticæ relinquendo, Numiſmata ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ autem Laconicæ tribuendo; ex ipſis enim Numiſmatibus palam eſt, in una eademque Inſula Numiſmata hæc eſſe ſignata, occurrente Veſpertilione non tantùm in ſecundo ΕΛΕΝΙΤΩΝ, ſed & in tertio ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ, id quod etiam Inſcriptio Nummi ΕΛΕΝΙΤΩΝ καὶ ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ evincit, ſiquidem vera ſit relatio eorum, qui viſam ad Rev. Harduinum detulére. Quid reſpondes? DULODORE. Magnis Te niti Authoribus, inquit Ille. Eò res devenit, ut Cranaën Laconicam hîc omninò expungerent Eruditi, cùm tamen Cranaë Attica potius expungenda foret. Thomas de Pinedo, licet ad apertum Stephani locum, qui ita habet:

Κρανὰη, νῆσος λακωνικὴ. Ὅμηρος

Νήσῳ δ' ἐν Κρανάῃ ἐμίγην.

Ἥτις πρόκειται τοῦ Γυθείου. Οὕτως ἐκαλεῖτο καὶ ἡ Ἀττικὴ, ἀπὸ Κραναοῦ. Ἐξειλήφασι γάρ τινες οὕτω τὸ Ὁμηρικὸν τὸ Κρανάῃ ἀντὶ τοῦ Ἀτθίδι. Ἑλένη καλεῖται νῦν. Τὸ ἐθνικὸν, εἰ μὲν τῆς Λακωνικῆς, Κραναάτης, ὡς Καρυάτης. Εἰ δὲ τῆς Ἀττικῆς Κραναῖος, ὡς Ἀθηναῖος.

Cranaë, Inſula Laconica, Hom.

INSULA VERO IN CRANAE MISTUS SUM.

Quæ ante Gytheum ſita eſt: Sic etiam vocabatur Attica, à Cranao. Sic enim accipiunt aliqui Homericum illud IN CRANAE *pro* IN ATTHIDE. *Nunc* HELENE *vocatur – Gentile, ſi Laconicæ quidem* CRANAATES, *ut* CARYATES, *ſi Atticæ verò* CRANÆUS, *ut* ATHENÆUS. Licet, inquam, ad apertum hunc Stephani locum commentaretur Pinedo, tamen ad Cranaen, quam Author *Laconicam* dixerat; *Miror*, inquit, *Authorem noſtrum in Etymologia Oppidorum & Inſularum luxuriantem, nunc hujus Inſulæ etymologiam ſilentio præterire, quæ* CRANAE *dicta fuit, ut innuit Homerus, quòd in ea Paridis Concubitus cum Helena acciderit, unde poſtea* HELENA *etiam vocata eſt.*

Quid in his peccaverit Pinedo, inquit ETASTES, non video; Dupliciter videtur peccaſſe, reſpondit DULODORUS; primò enim ob concubitum non *Cranaë*, ſed *Helena* dicta eſt; Secundò, quæ de Cranaë Inſula Laconica Stephanus locutus erat, Pinedo ad Helenam Inſulam Atticam dotorſit. Strabonem hîc ſecutus eſt, ſubjecit ETASTES; Is enim Cranaen Homeri, ad Helenam Atticæ Inſulam retulit. En verba: Πρόκειται δὲ τῆς παραλίας ταύτης πρὸ μὲν τοῦ Θορίκου καὶ τοῦ Σουνίου, νῆσος Ἑλένη, τραχεῖα καὶ ἔρημος, παραμήκης, ὅσον ἑξήκοντα σταδίους τὸ μῆκος. Ἧς φασι μεμνῆσθαι τὸν ποιητὴν, ἐν οἷς Ἀλέξανδρος λέγει πρὸς τὴν Ἑλένην

Οὐ δ' ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς
Ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσι,
Νήσῳ δ' ἐν Κρανάῃ ἐμίγην φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Ταύτην γὰρ λέγει Κρανάην, τὴν νῦν Ἑλένην, ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ γενέσθαι τὴν μῖξιν. ***Ante oram hanc & Tho-***

& Thoricum & Sunium, jacet Inſula Helena, aſpera & deſerta, in longum porrecta ſpatio circiter LX. ſtadiorum, cujus ajunt meminiſſe Poëtam in his, quæ Alexander ait ad Helenam:

Nec cum Te primum Lacedæmone amabili,
Navigabam rapiens in pontigradis navibus,
Inſula verò in Cranaë miſtus ſum amore & lecto.

Hanc enim dicit CRANAEN, *quæ nunc* HELENE, *quòd illic concubitus fuerit.* Hæc Strabonis eſſe, regeſſit DULODORUS, inficias non ierim; an autem tanti momenti ſint, ut Stephani aſſertum de Cranaë Laconica evertere poſſint, de eo infrà videbimus. Thomas de Pinedo autem, cùm Stephanum illuſtraret, ad Cranaën Laconicam ſatius Pauſaniam attuliſſet, Strabone ad ſequentia reſervato, quæ utique nec Stephanus diſſimulat; Sed ille ὕστερον πρότερον ponendo, ad Stephani Cranaën Laconicam Strabonem ciat de Attica loquentem, eique callidè ſubjicit Pauſaniam, quaſi verò & Hic de Attica Homerum intellexiſſet, cùm tamen contrarium is apertè ſtatuat. En verba: Ἡ δὲ νῆσος ἡ Κραναὴ πρόκειται Γυθείου. Καὶ Ὅμηρος Ἀλέξανδρον ἁρπάσαντα Ἑλένην ἐνταῦθα ἔφη συγγενέσθαι οἱ πρῶτον *E regione Gytheo, Spartæ navale hoc fuit, Cranaë Inſula eſt, in qua Alexandrum, raptâ Helenâ, cum ea primò congreſſum, Homerus dixit.* Hæc ut ut ſe habeant, inquit ETASTES, Pinedo tamen Laconicam Cranaën non negavit: imò & Stephani verba intacta reliquit. Intacta? excepit DULODORUS; at idem paulò poſt, licet & Pauſaniam de Laconica ſcribere meminiſſet, tamen, *de rebus*, inquit, *ad Geographiam pertinentibus fides Straboni potius, quàm Stephano, adhibenda eſt: qui Cranaën Inſulam ante Thoricum & Sunium Atticæ locat, Lib. IX.* Qui hæc ſcripſit, an Stephani verba intacta reliquerit? An Cranaën Laconicam agnoverit? Sed non Pinedo tantùm hic impegit. Imò & ipſe Harduinus, ad Nummos ΕΛΕΝΙΤΩΝ, cùm Helenam Inſulam contra Atticum littus ſitam docuiſſet, Stephanumque allegaret, ea tantum verba poſuit, quæ ad Atticam pertinent, ea autem, quæ de Cranaë Laconica idem Author habet, non tantùm omiſit, ſed & Ἐθνικὸν Κραναάτης, quod Stephanus Laconicæ tribuit, & ipſum ad Atticam retulit. Quâ fide hoc agat Harduinus, aliorum judicium ſit. Et tamen ferendum id eſſet, niſi & ipſe Pauſaniæ verba, contra aperta Authoris placita, ſuo propoſito accommodaſſet, indeque rurſus ſubjiceret: *Hodie* Macroniſi, *hoc eſt*, Μακρὰ νῆσος *appellatur;* cùm tamen hoc de Helena Inſula Atticæ tantùm, nullo modo autem de Laconica verum ſit. An ex his non palam eſt, quod ab initio dixi, eò rem deveniſſe, ut Cranaën Laconicam omninò expungerent Eruditi?

Eſto! inquit ETASTES. Fuerint duæ nomine *Cranaës* in Græcia Inſulæ: Erraverint & Pinedo & Harduinus; Illud tamen certum eſt, propoſita Numiſmata non ad Laconicam, ſed omninò ad Atticam pertinere. Non meo judicio nitor. Eruditiſſimus Holſtenius in Notis ad Stephanum, licet duas Inſulas agnoviſſet, in propoſitis tamen Numiſmatibus Ἑλενίτας καὶ Κραναάτας eosdem eſſe, cum Goltzio ſtatuit, cenſetque, Numiſmata Κραναάται cum Nonnio ad Laconicam Cranaen non eſſe referenda. Nec eum movet, quòd Stephanus Gentilia diverſa faciat; In his enim Eum ſæpiſſimè falli arbitratur. Imò ipſum Holſtenium falli, reſpondit DULODORUS, ego nihil dubitem aſſerere. Et qui falli poterat? quæſivit ETASTES, cùm tamen Numiſmata

ſmata Κραναάτων & Ελενίτων ejusdem Inſulæ, eſſe negare non poſſis? quô poſitô, utique ad Cranaën Laconicam reſpicere liberum amplius non eſt; Licet enim Cranaë Laconica nomen *Cranaës* cum Attica commune habuit, non tamen habuit nomen *Helenes.* Hoc Atticæ proprium eſt, cùmque in Nummis prioribus id legatur, poſteriora autem ex Veſpertilione utrinque expreſſo ejusdem Inſulæ noſcantur, cujus & priora, utique dubitari amplius non debet, quin Atticæ Inſulæ etiam utraque ſint adjudicanda. Nodo Tibi Herculeo, excepit DULODORUS, me videris conſtrinxiſſe; Sed ego argumentum retorqueo. Numiſmata uno in loco ſignata eſſe, agnoſco; ſed hôc poſitô ad Helenam Atticæ, inquam, reſpicere amplius liberum non eſt; Helenam enim Atticam, *Cranaën* nomine proprio dictam, nemo demonſtraverit. Bono verba quæſo! inquit ETASTES. Annon Homerum ejus meminiſſe, Strabo apertè fatetur? Annon & Stephanus opinionem admittit? Quid de Stephano ſentiendum ſit, reſpondit DULODORUS, de eo infrà videbimus; Strabo autem, & quicunque Cranaen Atticæ Inſulam faciunt, hoc in paſſu erraſſe, nihil vereor aſſerere, omnes enim baſin aſſerti ſui in Homero ponunt; Nullô modô autem apud Homerum *Cranaën*, Atticæ Inſulam intelligi poſſe, jam demonſtrabimus. Non Inſulam Atticæ, ſed ipſam Atticam Regionem *Cranaën* dictam eſſe, non Stephanus tantum, ſed & Menander Rhetor, & Euſtathius in Dionyſium teſtantur. Menandri verba hæc ſunt cap. Πῶς δεῖ ἀπὸ γένους πόλιν ἐγκωμιάζειν. Τὴν γὰρ αὐτὴν χώραν, ποτὲ μὲν Κραναὴν, ποτὲ δὲ Κεκροπίαν, ποτὲ δὲ Ἀκτὴν, ποτὲ δὲ Ἀττικὴν κεκλήκασι. *Eandem enim* REGIONEM *aliquando* CRANAEN, *aliquando* CECROPIAM, *aliquando* ACTEN, *aliquando vero* ATTICAM, *indigitarunt.* Euſtathii ſequentia: Ἡ κατὰ Ἀθήνας χώρα λέγεται καὶ Ἀτθὶς ἀπὸ Ἀτθίδος τῆς θυγατρὸς Κρανάου, ἀφ' οὗ καὶ Κραναὴ λέγεται. *Quæ circa Athenas* REGIO *eſt, dicitur etiam* ATTHIS *ab Atthide filia Cranai, à quo etiam* CRANAE *dicitur.*

Hæc ego inficias non ierim, ſubjecit ETASTES: Arbitror tamen, generalem eam ſignificationem non obſtare, ut eadem denominatio etiam alicui Atticæ loco credatur data. Sic utique Athenas ipſas *Cranaas* Ariſtophanes vocat, in Avibus:

Ἔπειτα μείζω τῶν Κραναῶν ζητεῖς πόλιν.

Poſtea majorem Athenis quæris Urbem.

Et iterum in Acharnenſibus:

— — Ὦ Κραναὰ πόλις
Ἆρ' αἰσθάνει τὸν καταγέλων τῶν πρέσβεων.

— — O CRANAE URBS
Annon ſentis ludibrium Legatorum.

Hæc bene ſe habent, inquit DULODORUS. Si idem docueris & de Inſula Helena, hoc paſſu cedam; ſed vereor ut poſſis. Si non poſſim de Nomine Proprio, excepit ETASTES, potero tamen de Gentili; Κραναὴ enim non tantùm ſubſtantivè vel pro *Attica*, vel pro *Athenis* ponitur, ſed etiam adjectivè pro eo, *quod ad Atticam pertinet.* Ita apud Pindarum Olymp. Od. VII.

Καὶ Κρανααῖς ἐν Ἀθήναις.
Et Cranais in Athenis.

Et

Et Nem. Od. VIII.

> Ὅιπε Κρανααῖς ἐν Ἀθα-
> ναισιν ἅρμοζον στρατόν.
> *Et qui* CRANAIS ATHE-
> NIS *gubernabant Populum.*

Quorſum hæc? ſubjecit DULODORUS. Ut demonſtrem, reſpondit ETASTES, Helenam Κραναήν, ſive *Atticam* rite dici poſſe. Si hoc deſideres, inquit DULODORUS, non obſtitero. Sed quid hoc ad rem? cùm hâc ratione quælibet Atticæ Inſula, Κραναή vocari poſſit. Et revera ita videtur Homerum intellexiſſe Lycophron, concubitum Paridis cum Helena non in Inſula Helena, ſed in Inſula Salamine ponens: Errore paulò adhuc craſſiore, quàm ii, qui Inſulam Helenam eo honore mactârunt. Pro Lycophrone, inquit ETASTES, non intercederem; ſed pro Helena Atticæ Inſula, alia adhuc ſignificatio militare videtur. Κραναὸς *aſperum* aut *ſterilem* ſonat, & talem fuiſſe Helenam Inſulam Atticæ, Strabonis Authoritate conſtat; quid igitur, ſi huc reſpexerit Homerus? Hâc ratione, reſpondit DULODORUS, ne Atticæ quidem Heleniani concubitûs honos vindicaretur, quælibet enim Inſula, ingeniô loci aſperitate notabilis, Κραναὴ appellari poſſet, uti apud Homerum noſtrum Delos, Hym. Apoll. v. 16 - 26. Sed Paris utique non incertam, ſed certam aliquam Inſulam denotavit: Et quam? ſi non eam, quam Pauſanias & Stephanus ante Gytheum, Lacedæmoniorum Navale, ſitam, ſatis apertè docuére, cujusque & Orpheus meminit in fine Argonauticorum: ἐκ δ' ἀνέφηνε

> Μεσσατίων ἀπορρώγων Κραναὴν ἣ ἐ πάντες ὀπίσσω
> Νῆσον ἐπικλήσκουσι περικτίονες ἄνθρωποι.
> *Ex multis, quæ nos claudebant, Inſula viſa eſt,*
> *Quam* CRANAEN *dicunt, loca qui vicina frequentant.*

Et quæ alia intelligeretur in Nummis? cum tamen Stephanus Gentile hujus Cranaes, ΚΡΑΝΑΑΤΗΣ apertè ſtatuat, id quod & in Nummis legitur? Ne triumphum canas ante victoriam, regeſſit ETASTES. An non modò dixi, Stephanum hoc nomine Holſtenio vapulare? Quo jure id fiat, reſpondit DULODORUS, viderint, qui cum Holſtenio ſentiunt. Mihi ſanè Doctiſſimus Hiſtoricus rem non absque baſi aſſeruiſſe videtur; Καρυὰ enim, à qua Καρυάτης, vocabulum Stephano in exemplum allatum, Laconiæ regio fuit, non minus ac Cranaë ejusdem Inſula: Sic à Gythea, Lacedæmoniorum Urbe, Γυθεάτης, à vicina Cretenſi Κυδωνία Κυδωνιάτης, adeò ut hæc terminatio Laconibus tantùm non propria videatur. Si vapulare meruiſſet Stephanus, potius meruiſſet de Cranaë Attica. Qui ſic? excepit ETASTES. Duplicem ob cauſam, reſpondit DULODORUS. *Primò* in Gentili Cranaes Atticæ; Licet enim Ἀθηναῖος ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν, tamen à Κραναή, non Κραναῖος, ſed Κραναεῖος eam ad formam deduceretur. Error hic, inquit ETASTES, potius Librariis adſcribendus videtur. Mihi, perrexit DULODORUS, nec hæc forma arridet; Quis enim ita locutus eſt? Κράναος videtur Gentile eſſe, id quod non tantùm ex allegatis Pindari locis palam eſt, ſed etiam ex Strabone, cui Atthidis incolæ Κραναοὶ vocantur, qualiter jam ante & Herodotus eos appellaverat, & ex Herodoto Marcianus, & Euſtathius, quorum loca, ut & plura

ex

ex ſuperioribus, congesſit Meurſius, de Antiquitatibus Græciæ meritisſimus, in Tractatu de Reg. Athenarum. Lib. I. Rem capio, inquit ETASTES; ſed age, qua in re arbitraris Stephanum *ſecundò* impegiſſe? Quòd rem non clarius propoſuit, reſpondit DULODORUS; Si enim, quod de Cranaë Attica habet, de Inſula intelligendum ſit, ex errore aliorum rem aſſeruit, tanquam veram, quæ tamen fundamento caret: Si autem, quod verba ſonare videntur, quodque ex ſupradictis patet, de Attica regione loquatur, neſcio, quomodò ſubjicere potuerit, *Nunc Helenam vocari*; Adeò ut non abs ratione fortaſſis loca hîc trajecta ſtatueres, id quod apud hunc Authorem novi nihil eſt. Concinnior ſanè ſenſus emergeret, ſi verba Ἑλένη καλεῖται νῦν ſtatim poſt Γυθείου, legeres, ut ita ad mentem Numiſmatum, Cranaen Laconicam etiam *Helenam* dictam aſſereretur, quô poſitô, utique facilior foret tranſitus ad alteram ſignificationem, quà *Cranaë* pro *Attica* ponitur, quâque & Homero pro Atthide poſita quibusdam creditur. Sed Homerum utique itineris ratio id ſenſiſſe negat, id quod Stephanus probè obſervavit. Ἐμοὶ δοκεῖ Ἀλέξανδρος δηλοῦν οὐ τὸν διὰ τῶν νήσων πλοῦν πεποιημένον τῶν ἔσω Αἰγαίου, ἀλλὰ τῶν ἔξω. Ὑπονοῶν γὰρ διωχθήσεσθαι, τὴν Κρήτην εὐώνυμον λαμβάνει, καὶ τὴν Ἀσίαν παραλεγόμενος εἰς Φοινίκην ἔρχεται. *Mihi*, inquit, *videtur Alexander oſtendere navigationem factam non per Inſulas intra Ægæum, ſed extra; Cum enim ſuſpicaretur fore, ut eum perſequerentur, Cretam ad ſiniſtram capit, & Aſiam legens in Phœniciam venit.* Unde Stephanus hæc hauſerit, inquit ETASTES, incertum eſt. Quin potius Colutho fidem habemus, qui Paridem, ut per mare Ægæum & Græciæ litora Spartam navigaſſe tradit, ita per eandem viam & reducem memorat: Et an credibile eſt, Paridem extra Cretam in Phœniciam navigâſſe? Nonne propiore ſemita per Inſulas Cyclades potuiſſet reverti? Potuiſſet, reſpondit DULODORUS, ſed fides hiſtorica & Coluthum, & quoscunque alios, per Ægæum mare Paridis reditum venditantes, erroris arguit; Dictys enim Cretenſis, qui bello Trojano cum Idomeneo interfuit, bellique Trojani Ephemerides literis Punicis conſcripſit, cujusque Opuſculum poſt multa ſæcula apud Cnoſon inventum, & in literas Atticas commutatum, Neronique Romano Cæſari oblatum, Q. Septimius Romanus Latinitate fertur donaſſe: Is, inquam Dictys Cretenſis, *Alexandrum*, ſcribit, *properatione navigii, inconſultè uſum ventis, ad Cyprum appuliſſe, indeque ſumtis aliquot navibus Phœnicem delapſum, Sidoniorum Regem, qui eum amicè ſuſceperat, noctu inſidiis necâſſe, eâdemque quâ Lacedæmonem cupiditate, univerſam domum ejus in ſcelus propriam convertiſſe.* Quid videtur Etaſta? Annon ex his clarum eſt, Alexandrum per litus Atticum non eſſe reverſum, adeóque Homerum falsò de Helena Attica intelligi? ſimulque concidere commenta non Strabonis tantùm, ſed & Lycophronis & Coluthi, omniumque eorum, qui hactenus vel Helenam Atticam ex Homero *Cranaën* dictam aſſeruerunt, vel Paridis in ea concubitum collocârunt, reditumque per Atticæ litora venditârunt? adeò ut jam ſine Obſtaculo mihi videar Numiſmata noſtra ad Cranaën Laconicam referre, licet ea in re communi Eruditorum calculo contrarius?

Neſcio, an ſuffragari poſſim, excepit ETASTES; Licet enim clarum ſit, Alexandrum, ſive Paridem, in Phœniciam navigaſſe: Imò, quod & ipſum dare poſſum, licet & in Ægypto fuerit, id tamen non negat, itineris ſive reditûs primordia eum per Ægæum

gæum duxiſſe; Herodotus enim, Antiquisſimus Scriptor, ex Ægæo Eum tempeſtate rejectum ſcribit. En verba! *Ἀλέξανδρον ἁρπάσαντα Ἑλένην ἐκ Σπάρτης ἀποπλέειν ἐς τὴν ἑαυτοῦ, καί μιν ὡς ἐγένετο ἐν τῷ Αἰγαίῳ, ἐξῶσαι ἄνεμοι ἐκβάλλουσι, ἐς τὸ Αἰγυπτίων πέλαγος. ἐνθεῦτεν δὲ (οὐ γὰρ ἀνίει τὰ πνεύματα) ἀπικνέεσθαι ἐς Αἴγυπτον* &c. ***Alexandrum, raptâ è Sparta Helenâ, cum renavigaret domum, in mari Ægæo ventis curſu excuſum in Ægyptiacum pelagus: atque illinc non remittentibus flatibus appulſum in Ægyptum.*** Hic locus me non ferit, ſubjecit DULODORUS, idem enim dicit, quod & Dictys Cretenſis, *inconſultè* ſcil. *uſum ventis.* Quod de Ægæo Mari apud Herodotum additur, de ejus primordiis intelligendum eſt, non de medio, in quo Atticæ litus, & Inſula Helena: Adeo ut non probandum ſit, ex Ægæo Alexandrum rejectum, ſed ex medio Ægæi, & ultrà Atticam progreſſum, quod ut poſſis, haud abs re dubitem. Quidni? reſpondit ETASTES. Annon apud eundem Herodotum verſus Cyprii Alexandrum triduo Ilium perveniſſe teſtantur? quod utique fieri non potuiſſet, niſi per Mare Ægæum rediiſſet, adeò ut hinc colligas, quod & ipſe Herodotus fatetur, ſuperius aſſertum Sacerdotum Ægyptiacorum commentum fuiſſe. Ego, repoſuit DULODORUS, cum eodem Authore, nec verſibus Cypriis multum tribuerem, cúm utique Homerus & ipſe erroris in Ægyptum & Phœniciam meminerit, id quod locis aliquot Herodotus probavit.

Cedam hoc paſſu, inquit ETASTES; ſed eâ omninò conditione, ut eàdem *ἀκριβείᾳ*, quâ Helenam Atticam *Cranaën* dictam negaſti, Cranaën Laconicam *Helenam* dictam eſſe, mihi adſtruas. Sed hoc ut poſſis, non abs ratione vereor; Quis enim ejus meminit? Numiſmata mihi ſufficere poſſent, reſpondit DULODORUS; In his enim cùm utrumque vocabulum, ΕΛΕΝΙΤΩΝ & ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ, occurrat: Cùm inſuper utraque eâdem in Inſulâ ſignata, ex Veſpertilione indubium ſit, Numiſmataque ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ inſcripta, ad Cranaën Laconicam pertinere, hactenus abundè demonſtraverim, utique nec poterit negari, eandem Cranaën etiam *Helenam* dictam eſſe. Ut tamen Tibi morem geram, etiam ex Authoribus demonſtrandum ſuſcipio, Cranaën Laconicam *Helenam* dictam eſſe. Subriſit ETASTES, & adeòne Tu oculatus, inquit, es, ut videre poſſis, quod nec Strabo, nec Stephanus, nec alii tantô numerô Viri in Geographicis exercitatiſſimi viderunt? Laudem mihi non arrogo, reſpondit DULODORUS. Veritati obſtetricor, quæ ſe etiam mediocri diligentiæ interdum pandit. Sed ad rem! Quid videtur de Euripide, qui integro Dramate Helenæ hiſtoriam proſecutus eſt, eum quamvis in finem, ut ipſam ab infamia liberaret?

Euripidis fidem ſequar, inquit ETASTES. Sed pace Tuâ dixerim, nunquam & nullibi Euripides Cranaën Laconicam *Helenam* dictam aſſeruit. At, inquit DULODORUS, annon in fine Dramatis Dioſcuri Sororem ita alloquuntur?

Οὐδ᾽ ὤλισέν σε πρῶτα Μαιάδος τόκος,
Σπάρτης ἀπάρας, τῶν κατ᾽ οὐρανὸν δόμων
Κλέψας δέμας σὸν, μὴ Πάρις γήμειέ σε.
Φρουρὸν παρ᾽ ἀκτὴν τεταγμένη, νῆσον λέγω,
Ἑλένη τὸ λοιπὸν ἐν βροτοῖς κεκλήσεται,
Ἐπεὶ κλοπὰς σὰς ἐκ δόμων ἐδέξατο.

Ubi verò ab aliis ſecretam collocavit Te primum Majæ filius
Auferens Sparta, ex Cœleſtibus ædibus,
Furatus tuum corpus, ne Paris duceret Te,
Phrurii juxta litus ordinata, Inſulam dico,
HELENA *poſthac apud homines vocabitur;*
Quia Te domô furtim aſportatam recepit.

Locus pro me facit, excepit ETASTES; diſertè enim Poëta de Helena Atticæ loquitur. Non enim φρȣρȣ̃ παρ᾽ ἀκτὴν πτυγμένη, ſed φρȣρᾷ παρ᾽ Ἀκτὴν τεταμένη legendum, vertendumque *propugnaculum juxta Acten, ſive Atticam, exporrectum*, id quod dudum animadverterunt Eruditi, & nuper adhuc in Editione Anglicana Joſua Barnes. Acten certè *Atticam* ſignificare, teſtantur Gellius 14. 6. & Plinius 4. c. 7. additque rationem Strabo, ideò *Acten* dictam aſſerens, quòd maxima illius pars ad mare ſit extenſa. Et quam aptè Poëta τεταμένην vocat, eò quòd Helena Atticæ, quod & Strabo aſſerit, in longum porrecta fuerit? Et quid? an Tu credas Poëtam Atticum de alia ac de Attica Helena intelligendum? Quidni? reſpondit DULODORUS, cùm itineris ratio id ſuadeat? Mercurius Helenam in Ægyptum aſportaturus, quantis non dicam ambagibus, ſed receſſibus egiſſet, ſi Helenam à Sparta in Atticam, & inde demum in Ægyptum duxiſſet? Nonne credibilius eſt, propiore viâ, Spartâ ablatam in proxima Gytheo Inſula poſuiſſe? quam proinde *Helenam* ab eo facto denominandam, Gemini Helenæ fratres dicto loco prædixerint? Atticam *Acten* dictam, inficias non ierim, ſed ita etiam dicebatur quodcunque litus, tam vulgari uſu, ut vocabulum etiam ad Latinos tranſierit. Sic in illo Virgilii Æn. 5.

At procul in ſola ſecretæ Troades ACTA
Amiſſum Anchiſen flebant.

Et hoc Ciceronis in Verrem. *In* ACTA *cum mulierculis jacebat.* Et apud Cornelium Nepotem in Ageſilao: *Cùm in Acta cum Suis accubuiſſet.* Ita nec ex Epitheto τεταμένη rem eviceris; Licet enim id ab antiquo τάω, pro quo poſtea τείνω invaluit, *extendo*, deſcendat, adeòque longitudinem quandam ſubinnuat, id tamen Inſulæ Atticæ nec ipſum proprium fuit, ſed de quacunque, ante litus in longitudinem porrecta, dici poteſt. Quod ipſum Euripidem attinet, non arbitror eum famæ ſuæ tam prodigum fuiſſe, ut ejus cum jactura Patriæ ſuæ adulari voluerit, aſſerendo quod contra filum Geographiæ eſt, ut Helenæ Atticæ gloriolam quandam conciliaret; Quidni potius, ſi hæc ei mens fuiſſet, Salamini rem adjudicaſſet, in qua natus fuerat? Id quod poſtea Lycophronem feciſſe, ſupra dictum eſt.

At, inquit ETASTES, annon apud Euripidem ſenſus clarior foret, ſi παρ᾽ Ἀκτὴν *juxta Atticam* interpretaremur? cum hàc ratione locus determinatus foret, ſecus ac ſi, *juxta litus*; Nam ita quodcunque litus intelligi poſſet. Non arbitror, ſubjecit DULODORUS; Ex contextu enim ſatis patet, non aliud litus, quàm Laconicum intelligi debere. Nam ratio additur, *quòd Spartâ Helenam auferens Mercurius, eam in Inſula juxta litus poſuerit*; Imò ut quodcunque litus intelligas, adjectum vocabulum φρȣρȣ̃ utique abundè prohibet; Ita enim in vetuſtioribus Hervagii & Oporini legitur, non φρȣρᾷ, qualiter in recentioribus. Sed recentior lectio planior eſt, inquit

ETA-

ETASTES, quid enim *Φρȣρȣ πὰρ ἀκτὴν πεπαγμένη?* *Φρȣρὸς cuſtodem* notat, *Φρȣρὰ* autem non tantùm pro *Præſidio*, ſed etiam pro *ipſo loco* poni, ex locis Henr. Stephano allegatis clarius eſt, quàm ut dubitari poſſit: adeò ut hoc, ***Propugnaculum juxta Atticam extenſum***, ritè mihi videatur translatum: Cùm è contrario *Φρȣρȣ πὰρ' ἀκτὴν*, ***juxta Cuſtodis litus***, nullâ ratione diceretur. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſi *Φρȣρȣ* hoc loco *Cuſtodis* interpreteris. Quid autem, ſi nomen proprium ſit alicujus in Laconia Loci? Ita ſanè Verſio ex Prælectionibus Philippi Melanchthonis:

Ordinata in litore PHRURII.

Ubi ad marginem: *Ad* PHRURIUM, *locum in Laconia, ubi colebatur Helena.* Unde hæc ſumſerit Melanchthon, excepit ETASTES, libenter ſcirem; Sine authoritate enim locutum Virum *πολυμαθέστατον*, ſuſpicari non audeo. Rei baſin, inquit DULODORUS, fortaſſis Pauſanias ſuppeditabit: *πρὸς τοῖς Φρȣρίοις καλȣμένοις ναὸς ἐστιν Ἀρτέμιδος*, inquit in Laconicis. *Ad Propugnacula, quæ vocantur:* adeò ut, licet *Φρȣρία, Φρȣρίον, Φρȣρὸν*, & alia ejusmodi, appellativa ſint, apud Lacedæmonios tamen pro propriis poſita, proindeque apud Euripidem Inſulam Laconicam intelligendam, haud forſan abs ratione contendas: Quanquam quid prohibet, etiam apud Euripidem vocem *Φρȣρȣ*, imò ſi ita placet, & *Φρȣρὰ* pro appellativo, *loco* ſcil. *excubiis deſtinato*, agnoſcere? Nonne id Stiblinus facit, qui locum Euripidis ita vertit:

Inſula, eam dico, quæ deſignata eſt excubiis.

Nonne & ſic pro Inſula Laconica ratio militaret? Hæc ita dici poſſent, inquit ETASTES, niſi vox *πεπαμένη* rem ad Helenam Atticæ deduceret, jam enim mihi conceſſum memini, Inſulæ longitudinem hâc voce connotari, quæ de Helena, Atticæ Inſula, negari non poteſt, de Laconica autem non divinari, ſed probari debet. Quaſiverò, inquit DULODORUS, non & hæc vox ex falſa de Helena Attica hypotheſi irrepſerit; Quod enim MSCtum neotericam lectionem prætulit? & ceſſante MSCtorum fide, nonne frivola mutatio fuit? Nonne tutius cum antiquioribus editionibus ſentimus, quæ ad MSCtorum fidem prodierunt? Antiquæ autem editiones non *τεταμένη*, ſed *τεταγμένη ordinata* habent, ſcil. à *τάσσω ordino:* nec id abſque ratione, ſive *cuſtodiam ad litus ordinatam* intelligas, ſive *ad ordinem Inſularum* reſpicias; plures enim eo in tractu, & quidem etiam inter Cytheram & Tænarum, Laconiæ promontorium, fuiſſe, ex Strabone conſtat: *ἐν δὲ τῷ κόλπῳ τῆς παραλίας τὸ μὲν Ταίναρον ἀκτὴ ἐστιν ἐκκειμένη· πρόκειται δὲ κατὰ τȣτȣ Κύθηρα ἐν τεσσαράκοντα σαδίοις νῆσος, εὐλίμενος πόλιν ἔχȣσα ὁμώνυμον. Περίκειται δὲ νησίδια πλείω, τὰ μὲν ἐγγὺς, τὰ δὲ μικρὸν ἀπωτέρω.* *In ora maritimæ ſinu Tænarum eſt, Acta in mare porrecta &c. Ante Tænarum ſita eſt Inſula Cythera, intervallo XL. ſtadiorum, bono portu inſtructa & Urbe ejuſdem nominis &c. Sed & plures exiguæ Inſulæ circumjacent, aliæ viciniores, aliæ paulò remotiores.* Diligenter cauſam tueris, inquit ETASTES, Tuâ autem cum veniâ dixero, nihil hactenus allatum eſt, quod rem indubiè evincat. Euripidis locus pro & contrà diſputari poteſt: Et de Homeri effato jam olim dubitarunt Authores. Proinde, ſi aſſenſum deſideres, certius quid adferas neceſſe eſt. Id agam, reſpondit DULODORUS, & quidem non Poëtæ, ſed Hiſtorici: non recentioris, ſed antiquiſſimi teſtimonio. An Herodotum dicis, excepit ETASTES, quem modo citavi? Non hunc, reſpondit DULODORUS, ſed Daretem Phry-

 gium

gium, qui Trojano bello interfuit, cujusque Opuſculum Athenis inventum, Cornelius Nepos, Strabone adhuc antiquior, Latinitate fertur donâſſe.

Fides Authoris, ſubjecit ETASTES, mihi adhuc dubia videtur; Niſi enim fallor & Dares Phrygius, & Dictys Cretenſis, ad noſtra tempora ſuos Libros non transmiſerunt. Qui hodiè eorum Nomina præferunt, fucos eſſe, tota utique Criticorum natio clamat. Scio, inquit DULODORUS: An autem judiciô ſatis firmô id faciant, ſanè neſcio. *Terſior*, inquiunt, *eſt Cornelii Nepotis calamus.* Id ego, ubi de Hiſtoria ſcribenda quæſtio eſt, facilè ceſſerim: ubi de vertenda, non item. Quis neſcit diverſum in utroque genium dominari? Non omnes, qui benè ſcribunt, iidem & benè vertunt. Multæ vertentibus ſalebræ objiciuntur, quibus facillimè à ſermonis puritate dimoventur: nullæ autem ſcribentibus. Quid ſi idem & Cornelio Nepoti uſu venerit, qui utique calamum magis ſcribendo, quàm vertendo exercuerat? præſertim cùm ipſe fateatur, *verè & ſimpliciter perſcripta, ſe* AD VERBUM *in Latinitatem tranſvertiſſe.* Sed demus, Cornelio Nepoti hanc Operam non relinquendam. Demus alium quendam imperitiorem ejus nomen ementitum eſſe. An ideò Dareti Phrygio? an ideò Dictyi Cretenſi Opuſcula hæc abjudicanda? cùm tamen Horum Autographa ſuâ ætate exſtitiſſe, Ælianus author graviſſimus prodat? Ex quibus utique credibilius eſt, hodiè exſtantia eſſe verſa, quàm calamo imperito conſcripta; Si enim calamus imperitus fuit, quomodo res tanti momenti noſſe potuit? Plurima ſanè his Opuſculis nobis deteguntur, Authoribus reliquis illuſtrandis convenientisſima: Adeò ut nec iis allegari ſpernentur, qui fidem eorum diffamare ſatagunt. Notari meretur, quod licet verſiones ſuppoſititias Critici, nullâ authoritate, nullâ ratione clament, Vetuſtis Sæculis tamen eas abjudicare non audeant. MSCta earum in Anglia hodiénum aſſervari, Voſſius teſtatur. Annon indè indubiè concludis, loca ex his allegata, noſtrum commentum non eſſe? Annon, cùm Numiſmatibus inſerviant, eademque cum Homero prodant, non futile hinc & ipſis Authoribus fidei momentum exſurgere? Inficias ire non auſim, infit ETASTES, adeoque quid inde prolaturus ſis, ſcire geſtio; Dares Phrygius, perrexit DULODORUS, inter alia de primo Alexandri, ſive Paridis, & Helenæ congreſſu ita loquitur: *Argis*, inquit, *Junonis dies feſtus erat his diebus, quibus Alexander in Inſulam Cytheream venit, ubi ad fanum Veneris & Dianæ ſacrificavit. At hi, qui in Inſula erant, mirabantur Claſſem Regiam, & interrogabant ab illis, qui cum Alexandro venerant, qui eſſent, vel ad quid veniſſent? Reſpondere, à Priamo Rege Alexandrum Legatum miſſum ad Caſtorem & Pollucem, ut eos conveniret. Helena verò Menelai Uxor, quum Alexander in Inſula eſſet Cytberea, voluit eum videre. Qua de cauſa processit ad Oppidum, quod eſt* HELENA: *pervenitq; ad mare, ubi Dianæ & Apollinis fanum eſt, ubi rem divinam facere Helena diſpoſuerat. Quod ubi Alexandro nunciatum eſt, Helenam ad mare veniſſe, conſcius formæ ſuæ, in conſpectum ejus ambulare cœpit, cupiens eam videre. Helenæ nunciatum eſt, Alexandrum Priami Regis filium ad* HELENAM OPPIDUM, *ubi ipſa erat, veniſſe, quem etiam illa videre cupiebat. Et quum ſe utrique reſpexiſſent, ambo formâ ſui incenſi, tempus dedêre, ut gratias invicem referrent. Alexander imperat, ut omnes ſint in navibus parati. Nocte claſſem ſolvunt, de fano Helenam eripiunt, ſecum ducunt, & cum ea aliquas mulieres rapiunt.* Hæc Dares Phrygius, & ad propoſitum quam aptè?

Alexan

Alexandrum, ait, in Inſulam Cytheream veniſſe, Helenam autem ad mare proceſſiſſe, idque cùm audiviſſet Alexander, ei obviam in *oppidum Helenam* veniſſe, ibique cum ſe reſpexiſſent, formâ incenſos, tempus dediſſe, ut gratias ſibi invicem referrent. Quæſo ETASTA! Quodnam Oppidum *Helena* dictum inter Cytheram & Laconiam ad mare intelligi poteſt, ſi non, ſecundum Numiſmata, in Inſula Cranaë? Et annon, quòd Author dicit, *formâ incenſos tempus dediſſe, ut gratias ſibi invicem referrent:* annon, inquam, hoc idem eſt, quod Alexander ipſe apud Homerum:

Νήσῳ δ' ἐν Κραναῇ ἐμίγην φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Inſula in CRANAE *miſtus ſum amore & lecto?*

De Oppido loquitur Author, inquit ETASTES, non de Inſula. Si hìc peccatum ſit, reſpondit DULODORUS, in homine Phrygio id tolerari poteſt; Sed peccatum non crediderim, inde enim indubiè eviceris, id quod hìc probandum venit, oppidum in quo Alexander & Helena convenére, *Helenam* dictum eſſe, fuiſſeque inter Cytheram & Spartam, & quidem ad mare, quô locô Cranaë cùm fuerit, quid prohibet Helenam oppidum in Cranae Inſula agnoſcere? adeoque Numiſmata eidem vindicare? Euripidisque ſimul locum de ea explicare? nequicquam contra nitentibus tot antiquis & modernis Authoribus.

Anxiè philoſopharis, inquit ETASTES, & aſſentirer, niſi Stephanus vocem ΕΛΕΝΙΤΩΝ, quæ in Nummis prioribus legitur, Gentile Helenæ Atticæ faceret. Quidni eôdem jure, reſpondit DULODORUS, & Laconicæ foret? Quanquam, ne quid reticeam, Stephanum perperam hoc facere, Lucas Holſtenius obſervet. Potius Gentile arbitratus ab ΕΛΕΝΕΙΩΝ, quô nomine ſecundum Stephanum *locus*, ſecundum Euſtathium autem ad Dionyſ. *Inſula* fuit, circa Canobum, & ipſa ab Helena dicta. Si hunc audias fortaſſis, uti Oppidum in Cranaë *Helenam* dictum, ex Darete probavimus, ſic Cranaën ipſam Ἑλένειον, non minus ac Inſulam circa Canobum, dictam, vigore occurrentis in Numiſmatibus ἐθνικοῦ adſtruxeris. Res probabilis videtur, inquit ETASTES, indeque & locum Euripidis admittendum cenſeo, & Eruditiſsimum Poëtam errore abſolvo: Quomodo autem abſolvi poſſit Strabo, id ſanè non video. Peccatum hujus, reſpondit DULODORUS, eô gravius eſt, quô clarius Daretis hiſtoria Homerum de Cranaë Laconica intelligendum ſuadet: Quô clarius & nominis ratio differt; Helena enim Laconica id nominis obtinuit, vel à concubitu ibi celebrato, ſecundum Daretem & Homerum, vel ſecundum Euripidem, quòd Mercurius eam Sparta ablatam, in ea repoſuit; Helena autem Attica inde nomen ſortita eſt, quòd Helena ab Ilio redux ibi obierit, uti videre eſt apud Stephanum in ΕΛΕΝΗ, & Pauſaniam in Atticis p. 65, ex quibus notari poterit & Pomponii Melæ error, qui L. II. c. 7. n. 85. *In Atthide*, inquit, *Helene eſt, nota ſtupro Helenæ.* Falſum hoc; Non enim Helena Attica, ſed Laconica, Stupro Helenæ inclaruit, adeò ut jam Dares Phrygius belli Trojani temporibus ejus nomen oppido datum memoraverit, indeque Dioſcurorum præſagium apud Euripidem falſum non fuerit. Rem non allata tantùm teſtantur, ſed & Veneris Migonitidis ædes in adverſo continentis terræ litore, & Migonium tota illa regio, uti Pauſanias teſtatur, cujus en Tibi verba: Ἥδε νῆσος ἡ Κραναὴ πρόκειται Γυθείου. Καὶ Ὅμηρος Ἀλέξανδρον ἁρπάσαντα Ἑλένην, ἐνταῦθα ἔφη συγγενέσθαι οἱ πρῶτον.

Κατὰ δὲ τὴν νῆσον ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης ἐν τῇ ἠπείρῳ Μιγωνίτιδ☉, καὶ ὁ τόπ☉ ἅπας καλεῖται Μιγώνιον· τοῦτο μὲν δὴ τὸ ἱερὸν ποιῆσαι λέγουσιν Ἀλέξανδρον &c. De his, inquit ETASTES, non amplius reſiſto. Illud tamen ſcire vellem, cùm Cranaën Atticam à Cranao Rege appellatam, ex allatis ſuprà Menandri & Euſtathii conſtet, ea autem Etymologia ad Laconicam detorqueri non poſſit, quid de hâc cenſeas? An Thomæ de Pinedo ſit habenda fides, qui ab Alexandri & Helenæ concubitu ita appellatam docuit? Rationem, reſpondit DULODORUS, vellem Pinedo addidiſſet. Hâc latente, quî ſubſcribam? Niſi fortaſſis ſufficere videatur vox κρανέεσθαι, vel κρανεῖσθαι, à verbo κραίνω *perficio*, eò quòd Helena & Alexander ibi concubitum perfecerint. Ita ſane Phavorinus: κραναὴ διὰ τὸ κρανθῆναι, ἤτοι τελειωθῆναι ἐπ' αὐτῆς τὸν γάμον. Sed ratio fragilis eſt, non minus ac ea, quæ à ſterilitate & montibus deducitur, voce κραναὸς *locum ſterilem, montanum* & *aſperum* deſignante. Fortaſſis, uti Apollinem apud Lacedæmonios *Carneum* cognominatum tradidére, ab arboris nomine, quam κρανείαν Græci vocant, trajecta litera P. uti Pauſanias ait, ita κραναὴν, niſi ab eadem arbore deduxeris, certè altera ejuſdem literæ trajectione, à Carno derivare poſſes, quem ab Apolline & Diana educatum, eôdem teſte Praxilla prodidit. Eò facere poſſet Apollinis & Dianæ fanum, quod ad mare, quo Helena Alexandro obviam proceſſerat, Dareti memoratur fuiſſe. Sed in re dubia nihil affirmo.

In Numiſmate primo, ſubjecit ETASTES, Poculum video, & apud Athenæum Κράναιον eſt poculi genus. Quid igitur, ſi poculum hoc Κράναιον arbitrer, nominisq; inde etymon deducam? Non tam poculum hoc eſt, reſpondit DULODORUS, quàm Amphora Diota, qualis ferè & in Numiſmatibus κορκυραίων & Κώων apud Goltzium viſitur, ubi non aliam rationem, quàm Bacchi munera attuleris, quæ in averſis radiant: Adeò ut nec in Ἐλευίτων Numiſmate aliò reſpiciendum videatur, præſertim cùm ita & κλήματα ἀμπέλων dicantur, uti apud Heſychium & Phavorinum eſt, & inſuper de Bacchi in Laconia & muneribus & cultu doceat egregius Pauſaniæ locus. Cùm de Cranaë Inſula dixiſſet, Templumque Migonitidis & Migonium regionem memoraſſet, immediatè ſubjicit: Διονύσου δὲ ὄρ☉ ἱερὸν, Λαρύσιον καλούμενόν ἐστιν ὑπὲρ τοῦ Μιγωνίου. καὶ ἦρ☉ ἀρχομένου, Διονύσου τὴν ἑορτὴν ἄγουσιν, ἄλλα τε ἐς τὰ δρώμενα λέγοντες, καὶ ὡς βότρυν ἐνταῦθα ἀνευρίσκουσιν ὡραῖον LIBERO PATRI *ſupra Migonium ſacer mons eſt, quem vocant Laryſium. Vere ineunte feſtos agitant Libero dies. Sacri cum alias referunt cauſas, tum quòd ibi primùm* UVAM *maturam repererunt.* Locus ſatisfacit, excepit ETASTES; Fortaſſis tamen & COTHON, Poculum Laconicum, memoriam ſubire poterit; Si ad Laconum bibacitatem reſpicias, inquit DULODORUS, de qua Athenæus, Λακεδαιμόνι☉ δὲ τὴν παρ' αὐτῷ ἕκαστ☉ πίνει, ὁ δὲ παῖς οἰνοχοεῖ ὅσον ἂν ἀποπίῃ. *Lacedæmonius appoſitum ſibi poculum ebibit, puer autem rurſum affundit, quantum fuerit epotum:* Adeò ut hactenus etiam Cothonis meminiſſe liceat. Sed cave, eum in Numiſmate Ἐλευίτων expreſſum credas; Suidæ enim, ut jam alibi monui, κώθων εἶδ☉ ποτηρίου λακωνικοῦ μονώτου, *genus poculi Laconici* UNAM AUREM *habentis memoratur*, cùm tamen in Numiſmate δίωτον ſit. Sed tempus eſt, ut ad caput Veneris transeamus. Veneris Tu hoc caput? quæſivit ETASTES; At ego Helenæ arbitrabar, non tantùm, quòd ab ea Urbi & Inſulæ nomen fuit, uti hactenus demonſtratum eſt; ſed

etiam

etiam, quòd immortalibus Deabus ſimilis fuiſſe, Homero; Imò quòd & divinis honoribus apud Lacones culta, Pauſaniæ memoratur. Loca ſubjicio. Il. Γ. v. 157. Senes Trojani Helenam mirati:

Αἰνῶς ἀθανάτοισι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Valdè immortalibus Deabus vultu ſimilis eſt,

Inquiunt: Et apud Pauſaniam in Laconicis inter cætera: Ἑλένης δὲ ἱερὰ καὶ Ἡρακλέους, *Helenæ etiam, & Herculis ædes memorantur:* addique poſſunt & Ἑλένια, ἑορτὴ ἀγομένη ὑπὸ Λακώνων, uti Heſychius loquitur. An hæc ſufficiant, reſpondit DULODORUS, dubito. Ex lineamentis judicandum eſt, non ex Divinitate & cultu. Lineamenta, reſpondit ETASTES, ex Darete Phrygio tradiderim. *Fratribus ſimilem, formoſam, animo ſimplici, blandam, notam inter duo ſupercilia habentem, ore puſillo,* tradit. Et quidni etiam ex Theocrito, apud quem in Epithalamio Virgines:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν,
Πιείρη, μεγάλη.
Ut Aurora exoriens decoram oſtendit faciem,
Sic & aurea Helena elucebat inter nos,
Ampla, procera.

Hæc ad vultum in Numiſmatibus elatum, & cum venuſtate procerum quàm appoſite? Si arbitreris, inquit DULODORUS, equidem vehementer non reſtitero: Quanquam juxta monendum arbitrer, tutius ad Venerem hoc caput referri; Licet enim Helena *immortalibus Deabus ſimilis* dicatur, ſuperiore Homeri verſu, non tamen Veneri, ſed *Dianæ ſimilis* dicitur Eadem, Odyſſ. Δ. v. 122.

Ἐκ δ' Ἑλένη θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο
Ἤλυθεν, Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα.
Helena vero ex thalamo odorifero excelſo
Egreſſa eſt, Dianæ aureum arcum habenti ſimilis.

Et quid multa? Numiſma Κυθηραίων, quod tale eſt,



Veneris hoc caput eſſe, indubiè clamat; eadem enim utrinque facies, idem capillorum & colli ornatus: Et quis Venerem Cytherenſibus cultam dubitet, in mentem ſibi revocans Cythereæ nomen, quod ab hac Inſula Deæ hæſit?

Veneri Sacra Cythera

celebra-

celebratur Ovidio Faſt. 4. & ad Venerem apud Virgilium Æn. I. Jupiter:

Parce metu Cytherea,

inquit. Hæc trita ſunt, ſubjecit ETASTES, & rationi evidenti facilè ceſſero: Quanquam juxta & pro mea ſententia Herodotum adhuc proferre libeat, qui Venerem Hoſpitam apud Phœnices non aliam arbitratur, quàm ipſam Helenam. Non Phœnicum, inquit DULODORUS, ſed Græcorum hîc monumenta contemplamur, ubi ſanè pro me ratio potior eſt, non Inſularum Cythereæ & Cranaes vicinitate tantùm, ſed eôdem planè utrorumque in Nummis Veneris ornatu. Eſto! inquit ETASTES: Quid autem Veſpertilio in Nummis tam ΕΛΕΝΙΤΩΝ, quàm ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ? Rationem fateor me non perſpicere. Perſpicies, reſpondit DULODORUS, ſi ad fabuloſam Veſpertilionum Originem placebit reſpicere. Ovidius eam decantat:

Adbuc, inquit, *Minëia proles*
Urget Opus, ſpernitque Deum, feſtumque profanat:
Tympana cum ſubitò non apparentia raucis
Obſtrepuêre ſonis.

Et inde: *Fumida jamdudum latitant per tecta Sorores*
Diverſæque locis, ignes & lumina vitant.
Dumque petunt tenebras, parvos membrana per artus
Porrigitur, tenuesque includunt brachia pennæ.
Nec quâ perdiderint veterem ratione figuram,
Scire ſinunt tenebræ. Non illas pluma levavit:
Suſtinuêre tamen ſe perlucentibus alis.
Conatæque loqui minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque levi ſtridore querelas:
Tectaque, non ſylvas celebrant, lucemque peroſæ
Nocte volant, ſeroque tenent à Veſpere nomen.

Quibus in verbis ſimul egregia Veſpertilionum proſopographia fulget, adeò ut de iis, in Numiſmatibus noſtris expreſſis, dubitari nullatenus poſſit: At dubitari poteſt de ratione metamorphoſeos, inquit ETASTES; Aliter enim Antoninus Liberalis eam enarrat. En verba: Μινύου τοῦ Ὀρχομενοῦ ἐγένοντο θυγατέρες, Λευκίππη, Ἀρσίππη, Ἀλκαθόη. Καὶ ἀπέβυσαν ἐκτόπως φιλεργοί· πλεῖστα δὲ καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ἐμέμψαντο, ὅτι ἐκλιποῦσαι τὴν πόλιν, ἐν τοῖς ὄρεσιν ἐβάκχευον. Ἄχρι Διόνυσος εἰκασθεὶς κόρῃ παρῄνεσεν αὐταῖς, μὴ ἐκλείπειν τελετὰς ἢ μυστήρια τοῦ Θεοῦ. Αἱ δὲ οὐ προσεῖχον· πρὸς δὲ ταῦτα χαλεπήνας ὁ Διόνυσος, ἀντὶ κόρης ἐγένετο ταῦρος, καὶ λέων, καὶ πάρδαλις, καὶ ἐκ τῶν κελεόντων ἐῤῥύη νέκταρ αὐτῷ καὶ γάλα. Πρὸς δὲ τὰ σημεῖα τὰς κόρας ἔλαβε δεῖμα. Καὶ μετ' οὐ πολὺ κλήρους εἰς ἄγγος αἱ τρεῖς ἐμβαλοῦσαι ἀνέπηλαν, ἐπεὶ δ' ὁ κλῆρος ἐξέπεσε Λευκίππης, εὔξατο θῦμα τῷ θεῷ δώσει. Καὶ Ἵππασον τὸν ἑαυτῆς παῖδα διέσπασε σὺν ταῖς Ἀδελφαῖς. Καταλιποῦσαι δὲ τὰ οἰκεῖα τοῦ πατρὸς ἐβάκχευον ἐν τοῖς ὄρεσιν, καὶ ἐνέμοντο κισσὸν καὶ μίλακα καὶ δάφνην, ἄχρις αὐτὰς Ἑρμῆς ἁψάμενος τῇ ῥάβδῳ μετέβαλεν εἰς ὄρνιθας. Καὶ αὐτῶν μὲν ἡ μὲν ἐγένετο νυκτερὶς, ἡ δὲ γλαῦξ, ἡ δὲ βύζα. Ἔφυγον δὲ αἱ τρεῖς τὴν αὐτὴν τοῦ ἡλίου. *Minyas*, inquit, *Orcbomeni filius, babuit filias, Leucippam, Arſippam, & Alcathoën. Hæ Operum nimio ſtudio arſerunt, plurimumque alias mulieres reprebenderunt, quòd Urbe relicta*

relictâ in montibus eæ baccharentur. Tandem Bacchus, puellæ ſumtâ formâ, eas hortatus eſt, ne Sacra & myſteria Dei desererent: cumque animum non adverterent, indigne ferens Bacchus, è puella in Taurum, Leonem & Pardalim eſt mutatus, fluxitque ei ex faucibus Nectar & Lac. His prodigiis territæ, paulo poſt ſortes in urnam conjectas concuſſerunt, exiitque ſors Leucippæ. Ea vovit Deo ſacrificium, ſuumque filium Hippaſum, adjuvantibus Sororibus dilaniavit. Inde paterna domo deſerta, in montibus bacchatæ ſunt, paſtæque hederam, Smilacem & Laurum: Donec eas Mercurius virgâ tactas in volucres convertit, Veſpertilionem, Ululam & Byzam. Et hæ tres figiunt radios Solis.

Quid in his, inquit DULODORUS, ab Ovidio tantoperè differat non video. Differt Author metamorphoſeos, reſpondit ETASTES; Ovidius enim Bacchum, Antonius Liberalis Mercurium prodit. Differt modus; Ille enim Bacchico ſtrepitu, Hic Bacchi, cum formâ puellari non poſſent, formâ ferinâ, Leonis, Tauri, Pardalis territas perhibet. Differt & eventus; Territas fugiſſe, indeque omnes in Veſpertiliones mutatas, Naſo cecinit: Antoninus Liberalis autem, prodigiis motas ſacrificium obtuliſſe, indeque cum Baccharentur, à Mercurio tactas, unam tantùm in Veſpertilionem, reliquas autem in Ululam & Byzam abiiſſe. Differentiæ hæ, excepit DULODORUS, ad rem nihil faciunt; Communior enim ſententia pro Ovidio militat: Et ratio mihi conſtaret, etiamſi non à Baccho, ſed à Mercurio: Etiamſi non omnes Minyades, ſed una tantùm in Veſpertilionem eſſet mutata, cùm una utique in uno Numiſmate tantùm occurrat; Sed non æque conſtat ratio de loco, repoſuit ETASTES. Quid Mineides cum Inſula Cranaë? Puellæ Thebanæ cum Laconica? Argonautas intuére, ſubjecit DULODORUS. At hi ex Theſſalia ſolverunt, repoſuit ETASTES, prout revera & Jaſon, Argonautarum Princeps, ex Theſſalia memoratur oriundus; Quomodo igitur hi contigerint vel Minyades vel Lacones? Minyades, quæ ut modo dictum, Boeotiam, & ſi Ovidium audiamus, ipſas Thebas habitârunt? Minyæ, inquit DULODORUS, fateor, ex Theſſalia orti ſunt; Inde enim Minyam profectum, Jaſon apud Apollodorum ait. Cùm Theſſaliam Medeæ deſcripſiſſet, Urbemque ſuam Jolcon vocari docuiſſet, ſubjicit:

— Μινύην γέ μὲν ὁρμηθέντα
Αἰολίδην Μινύην ἔνθεν φάτις ὀρχομενοῖο
Δή ποτε Καδμείοισιν ὁμέρον ἄστυ πολίσσαι.

— *Minyam quidem profectum,*
Æolidem Minyam, hinc fama Orchomeni
Quondam Thebanis vicinam Urbem ædificâſſe.

Niſi potius Minyas Theſſaliæ, Minyarum Orchomeni Colonos arbitreris fuiſſe; Ita enim Strabo L.IX. Καλεῖ δὲ Μινυήïον τὸν Ορχομενὸν (Ὅμηρος) ἀπὸ τοῦ Βοιωτικοῦ ἔθνους τῶν Μινυῶν. Ἐντεῦθεν δὲ ἀποικῆσαι τινάς τῶν Μινυῶν εἰς Ιωλκὸν φασὶν. *Minyeium autem appellat Homerus Orchomenum à Gente Minyarum: atque inde quosdam Coloniam in Jolcum deduxiſſe ferunt.* Quicquid ſit, Minya Theſſaliæ Urbs apud Stephanum legitur, & *Minyas* Argonautas dictas, clarius eſt, quàm ut probari debeat. Neque hoc deſidero, reſpondit ETASTES, ſed unde dicti ſint? id verò dubium eſt; Strabo, excepit DULODORUS, verbis modò citata immediatè ſequentibus, à Minyis ita dictos arbitratur, qui

in Jolcum venére. Si hoc ita ſit, regeſſit ETASTES, quid ad Argonautas Veſpertilio? Minyæ certè non à Minyadibus, ſive Minyæ, aut ſecundum Antoninum Liberalem Orchomeni, filiabus denominati ſunt, ſed ab ipſo Minya; Ita enim Pauſanias in Bœoticis: Τούτῳ δὲ υἱὸς γίνεται Χρύσῃ Μινύας, καὶ ἀπ' αὐτοῦ Μινύαι καὶ νῦν ἔτι ὧν ἦρχεν ὀνομάζονται. *Hujus Chryſæ filius fuit Minyas, à quo ii, quibus imperavit, populi, hac etiam ætate Minyæ nominantur:* Et quid? an Argonautæ omnes ex Minyis fuerint oriundi? Annon ex tota Græcia, imó & ex Thracia Heroes convenére? uti videri poteſt apud Orpheum, Apollonium, Hyginum, & alios. Id ego non negaverim, inquit DULODORUS, quanquam nec tum opinione meâ decedam. Ut enim Minyas Pauſanias à *Minya* dictos arbitratur, & Strabo à *Minyis* etiam Argonautas cognominatos tradit: ita pleniore & concinniore ad propoſitum ratione, Apollonius Argonautas inde tradit *Minyas* appellatos, *quòd plurimi optimique de ſanguine filiarum Minyæ gloriabantur eſſe.* En verba!

Τοὺς μὲν ἀριστῆας Μινύας περιναιετάοντες
Κίκλησκον μάλα πάντας, ἐπεὶ Μινύαο θυγατρῶν
Οἱ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι ἀφ' αἵματος εὐχετόωντο
Ἔμμεναι.

Quos Optimates MINYAS *circumhabitantes*
Vocarunt ſanè omnes, quoniam MINYÆ FILIARUM
Plurimi Optimique de ſanguine gloriabantur
Eſſe.

Vides ETASTA, non Jaſonem ſolum, non ſolos, qui ex maſculino Minyarum ſanguine prognati erant, ſed & eos, qui ex femineo deſcendére: Imò & omnes in genere Argonautas id cognominis & tuliſſe & affectâſſe: Adeò ut jam mirum non ſit, monumentum eorum in Numiſmatibus ΕΛΕΝΙΤΩΝ καὶ ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ adſpicere. Imò, inquit ETASTES, ſi etiam demonſtres, Argonautarum progeniem Laconiam habitâſſe; Neque enim ſufficere videtur Locus Orphei, quem ſuprà attuliſti, viſam ſcil. Argonautis Cranaën, cùm ad eam appellere fato prohibitos, Poëta non obſcurè juxta doceat. De eo mox videbimus, reſpondit DULODORUS. Nunc aliud producere libet, quod Herodotus, & ex eo Strabo docent: Quodque ipſorum Authorum verbis Tibi indicandum duco. Strabonis hæc ſunt: Ἔτι ἀπὸ τῶν μετὰ Χλωρίδος τῆς Νέστορος μητρὸς ἐλθόντων ἐξ Ὀρχομενοῦ τοῦ Μινυείου ἐλθόντων Μινυῶν, οἱ τῶν Ἀργοναυτῶν ἀπόγονοι ὄντες, ἐκ Λήμνου μὲν εἰς Λακεδαίμονα ἐξέπεσον. *A Minyis, qui ab Orchomeno Mynieio cum Chloride Neſtoris Matre venerunt. Hi enim cum eſſent Argonautarum poſteri, Lemno expulſi Lacedæmonem venerunt.* Herodotus rem latius ut ſolet. L.IV. c. 145. Τῶν ἐκ τῆς Ἀργοῦς ἐπιβατέων παίδων παῖδες, ἐξελασθέντες ὑπὸ Πελασγῶν ἐκ Βραυρῶνος, ληϊσαμένων τὰς Ἀθηναίων γυναῖκας, ὑπὸ τουτέων ἐξελασθέντες ἐκ Λήμνου, οἴχοντο πλέοντες ἐς Λακεδαίμονα ἱζόμενοι δὲ ἐν τῷ Ταϋγέτῳ, πῦρ ἀνέκαιον. Λακεδαιμόνιοι δὲ ἰδόντες, ἄγγελον ἔπεμπον, πευσόμενοι τίνες τε καὶ ὁπόθεν εἰσί. Οἱ δὲ τῷ Ἀγγέλῳ εἰρωτέοντι ἔλεγον, ὡς εἴησαν μὲν Μινύαι, παῖδες δὲ εἶεν τῶν ἐν τῇ Ἀργοῖ πλεόντων ἡρώων. Προσσχόντας δὲ τούτους ἐς Λῆμνον φυτεῦσαι σφέας. Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἀκηκόοτες τὸν λόγον τῆς γενεῆς τῶν Μινυέων, πέμψαντες τὸ δεύτερον, εἰρώτεον τί θέλοντες ἥκοιέν τε ἐς τὴν χώρην, καὶ πῦρ αἴθοιεν. Οἱ δὲ ἔφασαν, ὑπὸ Πελασγῶν ἐκβληθέντες, ἥκειν ἐς τοὺς πατέρας.

Δικαιό-

Δικαιότατον γὰρ εἶναι οὕτω τοῦτο γίνεσθαι. Δέεσθαί τε οἰκέειν ἅμα τούτοισι, μοίρας τε τιμέων μετέχοντες, καὶ τῆς γῆς ἀπολαχόντες. Λακεδαιμονίοισι δὲ ἕαδε δέκεσθαι τοὺς Μινύας ἐπ' οἷσι θέλουσι αὐτοί. Μάλιστα δὲ ἐνῆγε σφεας ὥστε ποιέειν ταῦτα, τῶν Τυνδαριδέων ἡ Ναυτιλίη ἐν τῇ Ἀργοῖ *Argonautarum poſteri, quum à Pelasgis, qui fœminas Athenienſium ex Braurone prædati ſunt, eſſent ejecti à Lemno, Lacedæmonem navigarunt, conſidentesque apud Taygetum ignes accenderunt. Quos Lacedæmonii quum adſpexiſſent, nuncium misère, ſciſcitatum, quinam & unde eſſent? Illi nuncio ſciſcitanti reſponderunt, ſe Minyas eſſe, ab iis Heroibus oriundos, qui in Argo navigaſſent, quique quum Lemnum appuliſſent, illic eos procreâſſent. Hanc mentionem Stirpis Minyarum quum audiſſent Lacedæmonii, miſſo iterum nuncio ſciſcitantur, quid ſibi velit ipſorum adventus, atque ignis accenſio? Illi verò ſe reſpondent à Pelasgis ejectos redire ad parentes (æquisſimum enim factu eſſe) orareque ut ſibi liceat unà cum eis habitare, tum honorum tum agrorum participes. Eos recipere in ea, quæ ipſi vellent, Lacedæmoniis placuit, cum ob alia ad hoc faciendum inductis, tum præcipuè, quod Caſtor & Pollux in Argo navigaverant. Receptos Minyas & agris impertieruut & in Tribus cooptarunt. Ibi confeſtim ablocatis in alias, quas in Lemno duxerant Uxoribus, matrimonia contraxerunt.* Quid ais? ETASTA. Annon hæc Minyarum in Laconiam adventum clarisſimè demonſtrant? Demonſtrant, inquit Ille, ſed niſi fallor, Minyæ ibidem non manſerunt, ſed ob regnum affectatum cùm morte plectendi eſſent, Uxorum fide liberati, parsque Theras translati ſunt, pars ad Paroreatas Cauconasque diverterunt, id quod in ſequentibus idem Herodotus docet.

Rectè mones, excepit DULODORUS; ſed ego non tam in Minyis Argonautarum Poſteris rationem quæſierim, quam in ipſis Lacedæmoniis, quos Minyæ hi *ſuos Parentes* vocant, eò quòd Dioſcuri in Argo navigàrint: Dioſcuri, inquam, qui Helenæ fratres fuére, & apud Euripidem, Inſulam in qua Helena Lacedæmone ablata à Mercurio primùm poſita eſt, ejus nomine appellandam prædixerunt. Quanquam quid prohibet etiam ad ipſos Argonautas reſpicere? Orpheus ſanè, quem Tu in contrarium attuliſti, non tantùm non contrariatur, ſed & ſuffragatur. Cùm viſam inter Sporadas Cranaën memoraſſet, ſubjicit:

Ἀλλ' οὐ οἱ θέμις ἔσκε διαμπερὲς ἐξ ἁλὸς ἔρξαι
Αἰσονίδην. — —
Sed non jus erat PERPETUO *ex mari facere*
Æſonidem. — —

Ita enim verba ſonant, & ex iis utique indubiè colligas, Inſulam Cranaën Argonautis non tantùm viſam, ſed & Eos in eam exſcenſionem feciſſe, Jaſoni autem *perpetuò* ibi manere fas non fuiſſe: Adeò ut ex unico hoc Orphei loco apertè ratio pateat, cur Veſpertilionem Minyarum indubitatum ſymbolum expreſſerint Elenitæ & Cranaatæ: Inventô vel ideò ſibi convenientiore, quòd abſurdum non ſit, ſi etiam ex Lemniis Argonautarum Poſteris quosdam ad eos tranſiiſſe arbitremur; Licet enim hi rurſus Sparta ejecti, pars Theras navigaſſe, pars ad Paroreatas Cauconasque divertiſſe memorentur, vix tamen eſt, ut eô tempore, quô Lacedæmone habitàrunt, adeoque potentes facti ſunt, ut & regnum affectâverint, vix, inquam, eſt, ut non & loca vicina occupaſſe credantur, vix ut ejecti minimum non credantur Sobolem ſuam reliquiſſe, qui poſtea

in

in Cranaën Helenæ dicatam, Argonautisque viſam migrârint. Et quid ſi, ut in Lemno, ita & in Cranaë, Argonautæ genus ſuum reliquerint, tam apertô in Numiſmatibus, Minyarum teſtimoniô? Quid ſi ibidem & Dioſcuri exſcenderint, proximo in Spartam inde reditu?

Veriſimiliter rem exequeris, ſubjecit ETASTES. Quid autem parallelogrammon Numiſmatis ſecundi & tertii? an ad Inſulæ figuram id pertineat? Imò ad figuram Macedoniæ, reſpondit DULODORUS; hanc enim parallelogrammô adumbratam in Theſauro El. Btandenb. ad Numiſma Archelai demonſtravi. Quid Cranaë, aut Helena, ad Macedones? infit ETASTES. Id quod Subditi ad Dominum, reſpondit DULODORUS. Macedonum ſcil. ſe juris eſſe, hoc ſchemate mihi videntur indicare, eôdem modô, quô & alii Inſulares, Coi, Thaſii Lemnii, aliique, qui & ipſi parallelogrammon Nummis ſuis exhibuére. De Inſulis maris Ægei interioribus, regeſſit ETASTES, rem facilè crediderim, quid autem hoc Laconicas? An & hæ in Macedonum Dominatu fuére? Fuére, inquit DULODORUS. Annon recordaris ex Diodoro Siculo, jam ſub Alexandro Magno Lacedæmonios ab Antipatro victos veniam delictorum petiiſſe? Sed ad caput Arietis tranſimus, quòd tertiô & quartô in Numiſmate viſitur. Ego Ovis hoc caput arbitrarer, ſubjecit ETASTES, eò quòd hiſtoria, de Ove aurea Atrei, notiſſima eſt. Et qualis? inquit DULODORUS. Quam Ttetzes memorat, reſpondit ETASTES, apertè aſſerens, *Thyeſtem eam* OVEM *cùm ſurripuiſſet, Regnum obtinuiſſe, indeque rurſus à Tyndareo* (Helenæ is parens creditur) *cum Regno ejiceretur, juramento adactum eſſe, ut Cythercam inhabitâret.* Hæc ſanè ratio, iis mihi favere viſa eſt, qui Cranaën, ipſam Cytheram credidére. Neutrum dixerim, excepit DULODORUS, Cranaën enim à Cythera differre, ex hactenus dictis palam eſt: Et in Numiſmate non Ovis, ſed Arietis caput eſſe, ex cornibus utique clarius eſt, quàm ut dubitari poſſit. In memoriam, inquit ETASTES, κϱιȣ̃ μέτωπος, *Arietis frons*, mihi venit, quô nomine promontoria dicta, apud Dionyſium in περιηγέσει legimus, & quidem alterum Boſphori Thracii v. 153. alterum Cretæ v. 89. Quid ſi tale quid etiam ad Numiſma Cranaatων obtineat? Probandum id foret, reſpondit DULODORUS. Tutius ego & hic ad Argonautas reſpexerim, eò quòd fabula de Ariete Phryxi notisſima ſit, cujus pellem Argonautæ repetierunt. At, infit ETASTES, non pellis, ſed caput, &, niſi fallor, pes in Numiſmatibus viſuntur. Id nihil impedit, reſpondit DULODORUS. Ideò fortasſis hoc factum, quod ea membra animantibus immolatis in pelle relinquantur. Et quid ſi in capite Arietis ſimul & aliud adhuc Cranaes Etymon lateat? Κϱάνα enim Heſychio κεφαλὴ explicatur. Quid ſi vel antiquisſimum Minyarum, vel præſentem Macedonum dominatum adumbraverint? adfictus ſanè Delphinus, maris non incola tantùm, ſed & Rex opinioni ſuffragatur. Ita & Aries, princeps in Zodiaco ſidus eſt, eandemque ob cauſam etiam ab Antiochenſibus mihi creditur ſignatus. Sed nimis diu ad hæc Numiſmata hæſimus. Si Tibi ita videtur, ETASTA, hic finem confabulationi imponemus; Neque enim, cum alia me vocent, jucundisſimo Antiquitatis ſtudio plus temporis hodie impendere licet. Invitus id ago, regeſſit ETASTES; ſunt enim adhuc

COROL-

COROLLARIA
Quædam,

de quibus ſententiam Tuam libenter audirem. Et quænam ea ſunt? interrogavit DULODORUS. Numiſmata & ipſa Goltziana, reſpondit ETASTES, & primum quidem

NUMISMA
ΓΥΘΕΑΤΩΝ,
in qua
Victoria Auguſti Actiaca,



Si rectè memini, Tibi videtur exhiberi, cujus rei rationem, ut dicam, quod res eſt, nondum perſpicio, Nulla ſanè hîc Auguſti mentio eſt, ſed eſt ΓΥΘΕΑΤΩΝ, adeò ut Victoriam hanc non Auguſti, ſed Gytheatarum cenſendam arbitrarer. Si alicujus Gytheatarum Victoriæ memoria exſtaret, regeſſit DULODORUS, forſan ſuffragarer; ſed altum eſt in hiſtoria ſilentium, licet Portu egregiô, & navium ſtatione tutiſſimâ hæc Urbs celebretur. A Tito Flaminio, Nabidi Lacedæmoniorum Tyranno ereptam, inde à Nabide obſeſſam, tandemque Philopœmene, qui obſidionem ſolvere conabatur, à Lacedæmoniorum claſſe pulsô, rurſus in Tyranni poteſtatem deveniſſe, Livius memorat. Benè mones, infit ETASTES, & hanc Lacedæmoniorum contra Philopœmenem Victoriam hoc Nummo adumbrari, Nonnius ſuſpicatur. Scio, inquit DULODORUS, ſed potior ratio pro Auguſto militat. Et quænam poterit? perrexit ETASTES, cùm Gytheum Urbs Laconum fuerit, adeoque Gentis ſuæ Gloriam externi Imperatoris gloriæ credi debeat voluiſſe præferre? An Tu Gytheatas, repoſuit DULODORUS, Lacedæmoniis tam fidos arbitraberis fuiſſe? cùm tamen eorum Dominatu liberati, cum aliis id tantô gaudio proſecuti ſint, ut & novum nomen aſſumſerint, & impoſterum non Lacones, ſed *EleutheroLacones* ſe appellaverint? Procul dubio hoc beneficium iis gratius fuit, quàm Victoria Lacedæmoniorum; Hâc enim priſtino jugo, & quidem ſub Tyranno, diutinâ obſidione ſibi infeſto, fuerant redditi. Illâ autem, jugo liberati, & novæ gloriæ & ſplendori aſſerti. Ad rem facit Strabônis locus: *Συνέβη δὲ καὶ τοὺς Ελευθερολάκωνας λαβεῖν τινα τάξιν πολιτείας ἐπειδὴ Ρωμαίοις* *προ-*

προσεθεῖτο πρῶτοι οἱ περίοικοι πολεμουμένης τῆς Σπάρτης, οἵ τε ἄλλοι, καὶ οἱ Εἵλωτες. Nihil adhuc, excepit ETASTES, vel de Victoria Actiaca, vel de Auguſto video. At videbis, reſpondit DULODORUS, ubi conſideraveris, ipſum Auguſtum Eleutherolacones libertate donaſſe. Quis rei author? infit ETASTES. Pauſanias, regeſſit DULODORUS, cujus, ne quid dubites, en & ipſius Tibi verba: Γύθειον δ' ἀπέχει μὲν σταδίους τριάκοντα Αἰγιῶν, ἐπὶ θαλάσσῃ δὲ ᾠκισμένον ἐστὶν ἤδη τῶν Ἐλευθερολακώνων, οὓς βασιλεὺς Αὔγουστος δουλείας ἀφῆκε Λακεδαιμονίων τῶν ἐν Σπάρτῃ κατηκόους ὄντας. *Ab Ægiis diſtat Gytheum ſtadia XXX. Maritima tenent Eleutherolacones. Sic nempe ii appellantur, quos Imperator* AUGUSTUS *Spartanorum dominatu liberarit.* Ex hoc loco, excepit ETASTES, equidem de Eleutherolaconibus docemur; An autem Gytheum ex eorum numero fuerit, non docemur: Imò potius contrarium inde aſſerueris. Nullô modò, reſpondit DULODORUS, idem enim Pauſanîas paulò poſt: Ἀριθμὸς δ' τῶν Ἐλευθερολακώνων ὀκτὼ πόλεις καὶ δέκα εἰσί. Πρώτη μὲν καταβᾶσιν ἐξ Αἰγιῶν ἐπὶ θάλασσαν Γύθειον &c. *Urbes quidem Eleutherolaconum XVIII. exſtant. quarum* PRIMA *ab Ægiis ad Mare deſcendentibus eſt* GYTHEUM. Nondum triumphas, excepit ETASTES; Licet enim Auguſtus Eleutherolacones libertate donaverit, licet item Gytheum ex eorum numero fuerit, id tamen nondum evincit, Victoriam Auguſti Actiacam hic celebrari. Quidni alia quævis, & ipſorum, quidem Gytheatarum, quos inſcriptio evincit? Victoriæ habitus rem ad Auguſtum deducit, regeſſit DULODORUS, eôdem enim modô, quô in hoc Gytheatarum Nummo viſitur, eôdem etiam viſitur in Numiſmatibus Auguſti. Sed ad alia tranſeamus, quoniam pauxillum temporis his adhuc dilucidandis impendendum arbitraris.

In NUMISMATE
ΝΙΣΑΙΩΝ,
mortuus in Cimba
Naulum Charontis, Obolum porrigit.




Tunc ad Naulum Charontis reſpicis? inquit ETASTES. At cautius juvenem Cymbæ inſiſtentem, qui manu videatur obolum porrigere, Nonnius ſcripſit: Et verius, ut mihi quidem videtur, Rev. Harduinus ad ſitum Urbis reſpexit, quòd Niſæa Megarenſium Navale fuerit. Res aperta eſt, reſpondit DULODORUS; An autem eô referri

ferri

ferri debeat Numiſma, valdè dubitem. Non navis grandior in eo viſitur, qualis portui marino conveniret, ſed Cymba, qualium uſus non niſi in fluviis eſt: Adeò ut nullò modò ad Navale hic reſpici poſſit, licet Nummus à Niſæa Megarenſium Navali fuerit percuſſus. At, infit ETASTES, nec ratio apparet, cur ad Naulum Charontis debeat referri. Imò in ipſo Nummo eſt, repoſuit DULODORUS. ΟΒΟΛΟΣ in eo legitur, & Vir Cymbæ inſiſtens obolum porrigit; Obolus autem Charontis Naulum fuit. Audi Diodorum Siculum de Ægyptiis locutum, unde pleræque Græcorum ceremoniæ: τὸ μὲν γὰρ διακομίζον τὰ σώματα πλοῖον βᾶριν καλεῖσθαι. Τὸ δ' ἐπίβαθρον νόμισμα τὸν ΟΒΟΛΟΝ τῷ πορθμεῖ δίδοσθαι, καλουμένῳ κατὰ τὴν ἐγχώριον διάλεκτον ΧΑΡΩΝΙ. *Nam quod cadavera transvehit Navigium, Barin appellari,* OBOLUMQUE *portitori, quem* CHARONTEM *indigitant, pro Naulo ſolvi.* Quid clarius ad rem dici poteſt? Imò dubium reſtat, excepit ETASTES. Non de communi Ægyptiorum aut Græcorum ritu res demonſtranda fuit, ſed de ritu Niſæorum, aut ad minimum Atticorum. Qui de ritu Græcorum demonſtravit, reſpondit DULODORUS, is & de Atticis & Niſæis demonſtravit. Ut autem rationem ſcias, Locum Luciani produco, ubi cum Obolum in os mortuorum inditum dixiſſet: Non attendi, ait, an Atticus, an Macedonicus, aut Æginenſis apud Inferos valeat. En verba! Ταῦτα οὕτως ἰσχυρῶς περιελήλυθε τοὺς πολλοὺς, ὥστε ἐπειδὰν τις ἀποθάνῃ τῶν οἰκείων, πρῶτα μὲν φέροντες ὀβολὸν, ἐς τὸ στόμα κατέθηκαν αὐτῷ, μισθὸν τῷ πορθμεῖ τῆς ναυτιλίας γενησόμενον, οὐ πρότερον ἐξετάσαντες ὁποῖον τὸ νόμισμα νομίζεται, καὶ εἰ διαχωρεῖ παρὰ τοῖς κάτω, καὶ εἰ δύναται παρ' ἐκείνοις Αττικὸς, ἢ Μακεδονικὸς ἢ Αἰγιναῖος ὀβολός. *Hæc usque adeo vulgi animos pervaſerunt, ut ſimul ac familiaris quiſpiam mortuus fuerit, primum Obolum illi in os imponant, trajectionis mercedem, quam Vectori daturus ſit, nec illud prius expendunt, cujusmodi Numiſma legitimum ſit, ambuletque apud Inferos & apud illos valeat, Atticus, an Macedonicus an Æginenſis Obolus?* Quid videtur ETASTA? Annon Niſæi Atticum apud Inferos valere hoc Numiſmate videantur teſtatum feciſſe? Fateor, inquit ILLE, nec in his amplius morabor. Quid autem

In NUMMIS
ATHENIENSIUM
Aries, Elephas & Leo.



In Nummis Athenienſium dico, ſolitò aliàs Athenienſium ſymbolô inſignitis: Noctuâ ſcil. cum Amphorâ diotâ, quarum illam, & ad Noctuas Athenienſes, & ad Minervæ tutelam

telam reſpicere: Hanc autem ad inventas ab Athenienſibus figlinas Te retuliſſe memini. De *Leone* autem, *Elephante*, & *Ariete* fateor me hactenus nihil audiviſſe. Et res eò obſcurior videtur, quò notius, Leonum & Elephantorum patriam non tam Europam, quàm Aſiam, aut Africam eſſe. Non de Ferarum patria hîc agitur, excepit DULODORUS, ſed de Athenienſium decoribus. ARIES, perrexit ETASTES, Argonautarum ſymbolum fuit, ob memoriam ejus, qui Phryxum per Helleſpontum, uti ſuprà audivimus, tulit, cujusque pellem Argonautæ repetiiſſe memorantur: quid autem Argonautæ ad Athenienſes? Athenienſibus, reſpondit DULODORUS, fateor inter Argonautas honorem non eſſe. Theſeus enim Athenienſium Rex, ut apud Apollonium eſt, tunc ſub terra Tænaria latebat, vinculo detentus. Si ad Argonautas reſpicere non auſim, denuò regeſſit ETASTES, ratio me deficit, gratumque erit, ſi me rem edoceas. Heſychius docebit, repoſuit DULODORUS, is Arietem magnum & æneum in Athenienſium arce fuiſſe memorat; En verba! Ἦν ἐν τῇ ἀκροπόλει κριὸς ἀνακείμενος μέγας χαλκοῦς. Ἀσελγοκέρων δὲ αὐτὸν εἶπε Πλάτων ὁ Κωμικὸς, διὰ τὸ μέγαν εἶναι. καὶ συναριθμεῖ αὐτῷ τόν γε Δούριον ἵππον De Acropoli loquitur Author, ſubſumſit ETASTES, an Athenienſi? Id dubium eſſe poteſt. Plures enim Acropoles fuiſſe, ad Numiſma ΚΥΡΙΕΩΝ Te memini docuiſſe. Si ratio foret, cur alii tribuerem, reſpondit DULODORUS, & ipſe dubitarem, cùm non ſit, quid dubitem non video. Sed age, ſi diſplicet Aries æneus, at non diſplicebit Aries Heroi Heſycho immolatus, de quo apud Scholiaſten Sophoclis Polemon in opere quod inſcripſerat τὰ πρὸς Ἐρατοσθένην: Καὶ προθύονται (οἱ ἡσυχίδαι) πρὸ τῆς θυσίας ταύτης (τῶν Εὐμενίδων) Κριὸν Ἡσύχῳ ἱερὸν ἥρωϊ, τοῦτον οὕτω καλοῦντες διὰ τὴν εὐφημίαν. Idem hic dubium ſubeſt, inquit ETASTES, quis enim aſſerat, hoc Athenis factum, cùm tamen Pauſanias Arietis nec hujus, nec illius, vel verbo meminerit? Pauſanias, ſubjecit DULODORUS, omnia congerere non potuit. Athenis autem hoc factum eſſe, ex immediatè ſequentibus conſtat. Οὗ τὸ ἱερόν ἐστιν παρὰ τὸ Κυμώνιον, ἐκτὸς τῶν ἐννέα πυλῶν. Ita enim legendum, non ut vulgò habetur, Κυδώνιον, Meurſius jam dudum obſervavit. Cimonium ſanè Athenis fuiſſe, vel ipſum nomen arguit, à Cimone Athenienſi dictum. Et quid multa? cùm & Heſychidæ ſuffragentur. En denuò Heſychium! Ἡσυχίδαι, inquit, γένος Ἀθήνησιν ἰθαγενῶν. Sed plura de his apud dictum Meurſium. Ad ELEPHANTUM tranſeo. Ritè facis, inquit ETASTES, jam dudum enim quid ad eum, dicturus ſis, exſpecto. Unicum Themiſtii locum attulero, reſpondit DULODORUS, in Lib. de Mem. & reminiſc. Elephantum Athenis pictum memorat. Ἡ αἴσθησις καθ' αὑτὸ μὲν ὁρᾷ τὸν ἐν Ἀθήναις γεγραμμένον Ἐλέφαντα. Κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, τὸν ἐν Ἰνδίᾳ νεμόμενον. *Senſus per ſe quidem videt Elephantem, qui Athenis eſt depictus; per accidens verò eum, qui in India paſcitur.* Hic locus, excepit ETASTES, facit ut & pro Ariete potius æneo ſentiam, quàm pro eo, qui Heſycho ſacrificatus eſt. Sed tertium animal LEO reſtat, an hic vel ad Parnaſſium, vel ad Cytheronium, aut Nemæum reſpiciat? Eandem rationem, ſubjecit DULODORUS, arbitrer ſubeſſe, quæ & de Ariete, & Elephanto fuit. Etiam hic enim Athenis fuit, & quidem æreus & ipſe, & juxta fontem, cui *Clepſydræ* nomen fuit. Audiamus locum Pollucis L. VIII. cap. IX. Sect. XXXII. Ἦν μέν τοι καὶ Κρήνη τις Κλεψύδρα, ἀρχὴ δ' ἔλαος εἰς τὸ ἔργον, αὐτῆς τῆς ἐπικλύσεως, ἔχουσα, καὶ ΛΕΩΝ δέ τις ἐκαλεῖτο

λεῖτο

λεῖτο Κρηνοφύλαξ, χαλκοῦ πεποιημένος, ἐπὶ κρήνης τινός, δι᾽ ἧς τὸ ὕδωρ ἐφέρετο, ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις &c. *Erat Crenophylacium dignitas, quæ Servos ad Opus, ejusdem cognominis habebat: Et LEO quidam Crenophylax vocabatur, ex Ære factus ad fontem quempiam, è quo aqua petebatur in judiciis.* Perſuades, inquit ETASTES, indeque ad alia tranſeo.

In NUMISMATIBUS ΕΡΕΣΙΩΝ, Inſulæ feracitas, & Dii



Vulgò agnoſcuntur, ſed nemo hactenus fuit, qui rem idoneô Authorum teſtimoniô fulciret. Id brevibus agam, reſpondit DULODORUS. Ad fertilitatem, quæ Cereris capite & coronâ ſpiceâ adumbratur, egregiè facit, quod Archeſtratus in ſua Gaſtromania de Panibus, polenta, atque farina, apud Athenæum profert:

Πρῶτα μὲν οὖν δῶρον μεμνήσομαι ἠϋκόμοιο
ΔΗΜΗΤΡΟΣ, φίλε Μόσχε, σὺ δ᾽ ἐν φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Ἐστὶ γὰρ τὰ κράτιστα λαβεῖν βέλτιστά τε πάντων,
Εὐκάρπου κριθῆς καθαρῶς ἠσκημένα πάντα.
Ἐν λέσβῳ κλεινῇ, καὶ ΕΡΕΣΟΥ περικύμονι μαστῷ

Λευκότερ' αἰθερίας χιόνος. Θεοὶ εἴπερ ἔδουσιν
Αλφιτ', ἐκεῦθεν ἰὼν Ερμῆς αὐτοῖς ἀγοράζει.

Principio munus eloquar CERERIS
Pulcrâ comâ ornatæ, amice Moſche: hæc verò Tu mente repone
Omnium præſtantisſimam ac optimam
Habere licet polentam, ex hordeo fœcundo paratam,
Puriter ſubactam, LESBI, in fertilibus ERESI glebis,
Atbereâ nive candidiorem, qua Dii veſcuntur.
Mercurius ſcilicet eò proficiſcitur, ut emptam illinc auferat.

Hæc bene ſe habent, inquit ETASTES, quid autem CRATER in Numiſmate primo? Idem, reſpondit DULODORUS, quod in ultimo FERULA LEMNISCATA: Utrinque ſcilicet honores Bacchi, & Vini Lesbii præſtantia in cenſum veniunt: Et quidem de Vino Lesbio nota ſunt loca Plinii, Horatii, aliorumque: De Bacchi cultu teſtantur cognomina *Briſæi, & Methymnæi*, quorum alterum à Briſa Lesbi promontorio, alterum à Methymna, Lesbi Urbe, deſumtum eſt. De Briſæo ſunt verba Stephani: Βρίσα, ἄκρα λέσβου, ἐν ᾗ ἵδρυται Διόνυσος βρισαῖος. Briſa promontorium Lesbi, in quo Dionyſius Briſæus collocatus eſt. DELPHINUS ſuccedit, inquit ETASTES, an Inſulæ indicium? an Neptuni aſſecla? Utrumque, reſpondit DULODORUS. De Inſula res indubia eſt, de Neptuno teſtatur Heſychius, cujus verba, ne quid dubites, & ipſa ſubjicio: Ελύτιος, inquit, Ποσειδῶν ἐν Λέσβῳ, & paulò ante, ἐλ ύμνιος, Ποσειδῶν ἐν Λέσβῳ. De Lesbo Inſula hæc ſunt, inquit ETASTES, & non de Urbe Ereſo. Qui de Inſula demonſtravit, reſpondit DULODORUS, is & de Urbe ejus demonſtravit: Ut tamen ſatis fiat, audiamus & Stephanum. Μεσοπόντιος Ποσειδῶν, ὁ Ἐρέσιος. τοῦτο γὰρ ἐν Ἐρέσῳ τιμᾶται, πόλει τῆς λέσβου. Καλλίμαχος Αἰτιῶν πρώτῳ. *Meſopontius Neptunus, qui ERESSIUS. Sic enim in ERESSO colebatur, urbe Lesbi. Callimachus cauſſarum primo.* Si hæc ita ſint excepit ETASTES, ad Potentiam Lesbiorum maritimam cum Nonnio non amplius reſpiciam. Quid autem LYRA, & CAPUT APOLLINIS, in Numiſmate quinto? An & Apollo Ereſi cultus fuit? Fuit, reſpondit DULODORUS, Homerus enim inter alia loca quibus Apollo imperet, etiam Ereſias ponit: Ita canens, in Hymno Apollinis v. 29. ſeqq.

Ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσι θνητοῖσιν ἀνάσσεις
Ὅσσους Κρήτη ἐντὸς ἔχει, καὶ δῆμος Αθηνῶν
Νῆσός τ' Αἰγῖνα, ναυσικλείτη τ' Εὔβοια,
Αἰγαί τ', Εἰρεσίαι τε, &c.

Hinc ortus omnibus mortalibus imperas,
Quoſcunque Creta intus habet, & populus Athenarum,
Inſulaque Ægina, navibusque inclyta Eubœa,
Ægæque, ERESIAEQUE.

Sed hæc latius inquirere, nunc non vacat. Vacabit aliò tempore, repoſuit ETASTES. Nunc, quoniam deſinere libet, gratias Tibi perſolvo, quòd importunas meas quæſtiunculas tuis reſponſis fueris dignatus. His dictis DULODORO valedixit, & abiit.

MELEAGRIDES
ET
ÆTOLIA,
EX
NUMISMATE
ΚΥΡΙΕΩΝ
Apud
GOLTZIUM:

Interſperſis Marmoribus quibusdam,

DE

MELEAGRI INTERITU,

&

APRI CALYDONII VENATIONE:

IN LUCEM VINDICATÆ

à

LAURENTIO BEGERO,
Serenisſimi Electoris Brandenburgici Conſiliario
ab Antiquitatibus & Bibliotheca.

Coloniæ Brandenburgicæ,
Imprimebat ULRICUS LIEBPERTUS, Electoral. Typographus. 1696.